



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Arnoldi Corvini à Belderen J. U. D. Jus Canonicum, Per Aphorismos Strictim Explicatum

Corvinus van Beldern, Arnold

Amstelodami, 1663

Lectori Candido S.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10591

Lectori Candido S.

Non sum ignarus, miraturos multos, maximè eos qui à fide Catholica Apostolica Romana recessere (Inter quos sum natus, educatus, studiis imbutus), quid me moverit Ius Canonicum in compendium redigere. Quippe qui omnes, imperiti, periti, imò & qui ceteris acriore esse iudicio videri volunt, Ius illud iudicent inconditam esse Decretorum & Constitutionum farraginem à Pontificibus non ad Reipublicæ Christianæ, sed proprium commodum editam, erroribus scatentem: ac proinde ejus cognitionem non tantum non esse necessariam, sed inutilem, imò noxiam. At verò quandoquidem scio, Iudiciorum ordinem & stylum, quo hodieque fere utimur, nox maximam sui partem isti Iuri debere, illis assentire nequeo. Accedit quod illud neque origine, neque rerum, questionum & decisionum magnificentia, dignitate, gravitate, utilitate & necessitate; neque ordinis, dispositionis & connectivitatis elegantia (puta quoad Decretales); neque rationabilitate, equitate, Iuri Civili sit postponendum, imò in multis ei præferendum. Quippe solâ equitate nitens, in multis

*Iuris Civilis scrupulosas subtilitates & obser-
vationes rigidas temperat, emendat, corrigit.
Præterea Ius Civile est maximè ex Ethnico-
rum legibus; Canonicum partim ex Sanctorum
Patrum scriptis, & veterum Conciliorum ca-
nonibus; partim Rescriptis Pontificum Roma-
norum compilatum. Illis constat Decretum;
His Decretales, Extravagantes, Clementina.
Quæ non pares, secundum multos, sanctitate
& sinceritate. Siquidem Decretum in prisca
magis volunt Christianæ Ecclesiæ disciplina
consistere: ab ea verò non parum recedere
Decretales & reliquas hujus Iuris partes. Ut-
pote quæ eo tempore, quo Ecclesiastica cause
antiquam simplicitatem, homines, Ecclesiæ ti-
tulo insigniti, antiquos mores jam amiserant,
à Pontificibus Romanis, adhibitis in consilium
Iurisconsultis, constituta. Non tamen pro-
pterea minus quàm Decretum retinenda &
observanda. Imò verò, ferè dixerim magis.
Quia cum ex civilium legum rationibus sint
desumpta, & propius quam Leges veterum ad
seculum nostrum & mores hodiernos accedant,
ex iis non tantum multarum legum obscura-
rum applicatio colligi, sed & alia quæ ad juris
non tantum Canonici, sed & Civilis cognitio-
nem sunt necessaria, hauriri possunt. Proinde
quis-*

quisquis cum utilitate hodie in foro nostro ver-
sari cupit, utriusque Iuris, Canonici & Civi-
lis, cognitionem coniungere debet. In quo u-
trumque, sed eatenus tantum servatur, qua-
tenus nec religioni, nec aequitati naturali nec
statutis nostris repugnat. Quippe Civile Ius,
non minus quàm quos volunt habere Canoni-
cum, præter dogmata Religioni, sed reforma-
ta, contraria, & suos nexos habet. Hæ & si-
miles rationes me moverunt, ut hoc Canonici
Iuris compendium concinnarem. Putabam
enim, mihi non tantum rem utilem, sed &
aliis gratissimam me facturum. Idque non
tantum in scholis adhuc militantibus, sed &
Doctores laureâ jam ornatis. Solent enim in
hiscæ regionibus non tantum omnes Ius hoc Ca-
nonicum negligere, sed ex iis multi illud cane
pejus & angue odio prosequi. At quam turpe
sit, Ius, ex cuius cognitione tanta, ut ostendi-
mus, utilitas hauriri potest, & cuius titulo
gaudemus, ignorare, nemo non videt. Quam
maculam mihi ut abstergerem, simulque viam
ad istius Iuris penitiorẽ cognitionem sternerem,
hoc feci Breviarium. Illud publici juris
ut facerem, Amicis rogantibus denegare no-
lui. Equidem illis erat persuasum, haud mi-
norem alios ex eius lectione, quam ego ex eius
dige-

*digestione perceperam, fructum fore perceptu-
ros. Quem aliis invidere, non esse hominis
ingenui, semper iudicavi: Præterea sperabam,
me eo alios ad emulationem excitaturum; &
inde Ius hoc Canonicum in eum, quo dignum
est, æstimium venturum. Vtrumque si con-
secutus fuero, satis amplum ex labore meo
præmium me retulisse iudicabo. Valete. Am-
stelod. Anno Dom. M. DC. XLVIII.*



AR